

1380 littore adeptum, subito clamore fundunt fugantque: lapsis in proximas paludes hostibus, navigia omnia capta, quæ circiter octoginta fuisse dicuntur. Capti cum his viri sexaginta, & in his Genuenses aliqui. Nec circa Zeni castra res omnino quietæ fuere. Sed hic quoque aliquotiens per occasionem alterius partis est pugnatum. Jam enim commeatu deficiente, cœperunt milites primo, inde Genuenses postulare, ut incolumes cum singulis vestimentis liceret Clodia abire. Quod utrisque est negatum. Inde paucis interjectis diebus, auditio Ligusticæ classis adventu, quæ in Dalmatia erat, & quæ in Patavina ora a Carrario Principe ad levandos socios obsidione pararentur, proposuit Venetus edictum, ut quicunque salvus esse vellet, paucis diebus (nam eorum numerum apud auctores non reperio) Clodia abiret, seque ad limen publici carceris steret: alioquin post id tempus non esse cur amplius veniam sperarent. Eam conditionem usque adeo hostem aspernatum ferunt, ut ne unus quidem in tanto numero repertus sit, qui se id facturum profiteretur. Resciverant & ipsi de adventu Ligusticæ classis: adductique ob id in spem levandæ obsidionis, constituunt adhuc diutius durare, atque extrema omnia prius pati, quam ditionem facere. Adversus igitur novos Patavini hostis apparatus (quia res in stagnis gerenda erat) quingenta leviora navigia Patres decrevere. Triremes præterea quinque & viginti domum reductæ, quas hostibus objicerent, si ad urbem aliquo modo annavigasset.

Pridie nonas Junii, tertia diei hora, ante Clodiæ portum Ligustica classis, quæ tres & viginti longas habuit naves, se in conspectum dedit: inde ad mille passus appropinquans, clamore ingenti hostem ad pugnam vocabat. Sed Venetus neque ex ipsa navium statione, neque ex Zenicis castris quicquam movens, stabat utrobique ad hostium impetum excipiendum paratus: & in stagnis navium multitudine ingens omnia insederat, ne Patavinus hostis interim moveret aliquid. Ligur ubi Venetum ad pugnam elici non posse vidit, ad Fossiones se recipit: inde quotidie movens,

Ve-